

quando *L. II. c. I. de Natura Dei, Opp. T. I. p. 59.* scribit: *Sicut divina natura ita se totam univit humanae, ut tamen humana particeps divinae facta non sit, quia humana Natura non est facta divina: Sic etiam essentialia proprietates divinae Naturae in humanam, (si ita loqui licet,) ita EFFUSAE sunt, ut tamen non sit facta earum particeps humana.* Impertinenter enim communicationi reali, qua humana natura aliquid divinae majestatis percipiat, contradicitur, ut ipsa credatur effusio absque ulla participatione. Rogamus Lectorem, ut haec pie & in timore Dei expendat.

§. IV. Enimvero, inquit Alloquium, alia adhuc ratione vicissim nobiscum convenient Reformati. *Vbi enim Theologi A. C. affirmant, dari utique istam communicationem idiomatum, ipsi saltem eam indignant, quae est secundum conjunctionem, qua divina & H. N. in Christo personaliter invicem secum junguntur, & quam profecto Reformatorum nemo tam jejunus sit, qui sollicitet.* Conferenda ante omnia sunt alia loca ejusdem Autoris ex institutionibus hac pertinentia, quibus mentem suam exponit, ut p. 356. *Statuimus, iterumque statuimus, et ad nauseam usque repetimus, & millies declaramus, esse hanc, quam credamus, idiomatum communicationem quoad συνδύασις SALTEM, & ένωσις, seu conjunctionem & unionem.* Mox, ubi exponendum, quid per περιχώρησις & permeationem intelligendum sit, ita scribit: *Nempe non potest fieri (quoniam a parte rei λόγος cum attributis suis unum idemque est) ut cum Natura divina H. jungatur intime, & hanc ipsam permeet, omniscientia quoque, quae eadem cum natura divina est, humanam non permeet, adeoque illi realissime communicata, sive JUNCTA SIT, communicatio enim, quae hic statuitur, non nisi καθ' ένωσις & κατὰ συνδύασις est.* Et p. 360. *Communicatio idiomatum idem cum unione personali a parte rei est, & aliis saltem terminis floret, ne τρέπις παιδείας confundatur.* Ita porro p. 392. *Communicatio idiomatum, quam nos statuimus, non est transfusio quaedam, qua mediante idiomata divina carni inhae-*

F

rent,